

cerati liberentur & prioribus istis sese mox adjungentes aut in locum quorundam continuo avolantium succedentes, flammam vel adaugeant vel conservent; ista quidem altiùs infigi, fortiusque impingi necessum erat, quò promptiùs ista aliorum liberatio & suggestio queat contingere: aër igitur pressione motuque suo spicula illa profundius adigit, præsertim si aliunde motûs illius augmentum aliquod accedat, uti videmus prunas ardentis oris folliumque flatu aut quavis aliâ ventilatione aëris in flammam auctiorem subito excitari. Subtracto igitur per antliam aëre, spicula ista ignea debilius adacta minus etiam penetrare, tandemque cessare penitus ac semoveri à materia inflammabili, e contra verò admissio rursus aëre ante plenariam eorum separationem, ipsa de novo fortius impingi, flammamque adeò reviviscere, necessum fuit.

CONCLUSIO VII. Undecimum porrò Phænomenon quod attinet, fumus equidem entymiamatum unà cum aëre versus antliam se expandente descendit in canalem orbiculi orichalcei tantò promptiùs quantò magis elater interni aëris, à quo aliàs in sublime exprimuntur exhalationes, fuit debilitatus. Quod verò deinceps retroactio emboli pistillo, ex eodem canali vicissim in campanam instar columnæ vel nubis atræ ascenderit, antliæ quodam vitio factum est. Valvula nempe antliæ primaria, quia non statim in primo retroactionis conatu exactè claudebatur, sed aliquid aëris in canalem orbiculi retrolabi patiebatur, uti Num. IV. hujus Tentam. prænaravimus, redux hic aër in campanæ exinani- tam cavitatem subito elatus istos fumos unà secum iterum evexit, eò magis nunc conspicuos, quò conferti per angustum canalis orificium erumperent.

CONCLUSIO VIII. Quemadmodum autem Phænomeni duodecimi causa procul dubio ea ipsa est, quam num. XIV. anticipando dedimus, utpote quæ, aliunde jam certa, experimento novo ansam & occasionem suppeditaverat, eventu adeò sperato haut parum corroborata: ita sequens

Causa 11.  
Phæn.

Causa 12.  
ac 13. Phæ-  
nom.